

simul et infamiam comparari ab litigatoribus, <cum> corrupti pecunia existimarentur: quoniam hoc falso iactaverit Clodius pretium sententiarum iudicibus esse tribuendum, cum tamen eandem pecuniam ipse intercepturus acciperet.

Frgm.  
XVI

Tuamque praetoram non tuo more differas. 5

Hoc in narratione Milonianae defensionis plenius ostendit Clodium petitorum fuisse praetorae, cumque animadverteret comitia non sic procedere, ut Kal. Ianuariis posset inire praetoram, maluisse desinere a petitione. Hoc ergo Tullius arripuit omnibus esse miraculo, quod non differat etiam 10 praesenti anno petitionem, quod iam semel fecerit. Solebant autem impediri comitia per dissensionem magistratum.

Frgm.  
XVII

Nec suffragia dabis, quibus ostentas.

... Comminatur et se denuntiat actionibus eius adversarium futurum neque in legationem cum Pompeio discessurum. 15 Laturus autem de suffragio libertinorum P. Clodius legem videbatur, ut et ipsi tum in censum aequaliter pervenirent.

Frgm.  
XVIII

Nec vero illam nefariam libertatem.

... legis mentio fit in oratione quae habita est pro Milone: *'An tui ... de nostrorum omnium — non audeo 20 totum dicere: videte, quid exitii lex habitura fuerit, cuius periculosa etiam reprehensio est.'* Opinio erat legem ... in praetura ... nium .. seru ... liarum.